

Simulac prodibit specimen ad TE mittam. Florere nunc incipit historia naturalis in Anglia.

Maximopere optarem, vt liceret TEcum de insectis confabulare TVAMque de systematibus eorum sententiam audire; tantam enim specierum inueni copiam, vt vix genera mihi sufficere videantur, et noua difficillime eruuntur.

TVAE benevolentiae me meaque studia commendo et vt nobilissimam familiam meis verbis salutes etiam etiamque rogo.

Dab. Lond. d. XV Maj.

1768.

(80) Viro generosissimo,
Dⁿ Carolo a Linné
Archiatro regio, Equiti
aurato atque Profes-
sori celeberrimo
s. p. d.
J. C. Fabricius

Data hac occasione aliquot plantarum species ad celeberrimum praeceptorem mittere haud dubitauī. Sunt omnes exoticae et mihi ignotae, attamen non omnes nouas aut non descriptas credidi, quum in plantis examinandis nunc minus versatus sum. Suscepit olim hanc partem Zoëga meus, at ille nunc Cameralista factus. Botanicam reliquit et ipse et hanc aggredi cogor. Herbarium adest sat amplum imprimis plantis Cap. Bon. Sp. in Belgio collectis refertum, at in denominatione dubia mihi oriuntur plurima, quae soluere haud valeo. Auxilium ideo Præceptoris benignissimi mihi exspecto, vt nota nominentur et noua determinantur, quum ignoto nomine nulla descriptio.

Mitto ideo hic 32 species, quarum 20 priores e Tranquebar Indiae Orientalis, reliquae partim Africanæ partim Americanae. Quasdam de his nondum descriptas credo, at de omnibus sententiam TVAM humillime expeto. Omnes numero signatae sunt, vt eo facilius assignentur.